



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 67. Græci ad abjurandum schisma a Papa admoniti

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](#)

Sæcul. XV.  
A.C. 1451.

§. LXVI.

*Polonis quoque ac Lithuaniae jubilæi indulgentiæ a Papa concessæ.*

*Michov. l.4.  
c. 55.*

*Crom. l.22.*

**C**ardinalis Sbigneus Cracoviensis Episcopus, ut Poloni quoque ad subsidia adversus Turcas ferenda allicerentur, Polonis, atque Lithuaniae Jubilæum concedi, subditosque, ne pro lucrando indulgentiis Romam peregrinari gravarentur, eximi rogavit, ea tamen lege, ut quisque dimidium ejus, quod in itinere Romam impensurus esse videretur, quæstoribus elargiretur, ex ea vero pecunia sic collecta dimidium Regi in expensas belli contra Turcas gerendi cederet, de reliquo dimidio quartam partem Sophia Regina in dotem egentium puellarum acciperet, altera tandem Pontifici pro reparandis Urbis Romanæ Ecclesiis mitteretur: sed cum facto censu hæc summa nimium gravis crederetur, non media sed quarta duntaxat pars ad fabricas destinata fuit, quæ tamen ad ingentem adhuc pecuniarum vim excreverat.

§. LXVII.

*Græci ad abjurandum schisma a Papa admoniti.*

**C**um interim omnia ad bellum, quod Principibus Christianis ab infidelibus impen-

impendebat, sustinendum disposita essent, **Sæcul. XV.**  
 Papa datis literis Græcos etiam hortabatur, ut suæ salutis memores suppetiis, **A.C. 1451.**  
 quas benignum Numen eis offerre paratum esset, sese haud indignos redderent. Instabat quam vehementissime, ut ad poenitentiam conversi, Florentinæ Synodi Decreta reciperent; literas quoque dedit ad ipsum **Constantinum Constantinopolis Imperatorem** eo tempore de sinceritate animi sui haud temere suspectum. In his Papa Spiritu vere propheticō enuntiavit, **Gennad. in a Græcis, qui unionem cum Ecclesia defens. V. cap lib. 5. cap. 14.** indies procastinarent, diu nimis Dei hominumque patientiam fatigatum iri, sed ad tertium adhuc annum, juxta Evangelicam parabolam, sterilem illam ac frustaneo labore cultam sicum relinquendam, ut tandem afferret fructum, quo deficiente, nimirum si intra hoc temporis intervallum, quod Deus illis adhuc dum concedere videtur, unionis Decretum recipere recusarent, haud dubie arborem usque ad radicem excindendam fore, totamque Græcorum Nationem ab illis, quos divina Justitia sententiæ suæ contra ipsos latae Ministros atque executores decrevit, penitus evertendam. Enimvero scripsit hanc Epistolam Nicolaus Anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo primo, & tertio post ipsius vaticinium anno Urbs Constantinopolitana a Turcis

Sæcul. XV. a Turcis vi capta, & extrema, qua Græc.  
A C. 1451. ci unionem Ecclesiæ respuebant, obsti-  
natio castigata est.

## §. LXVIII.

*Tractatus pacis cum Græcis a Maho-  
mete innovatus.*

*Phranz. l. 3.  
t. 2.* **N**eo-electus Sultanus, quamvis nihil  
solemnius haberet, quam ut Constan-  
tinopolim suo imperio subjiceret, nihilom-  
inus throno vix consenso pro usitata sua  
simulandi ratione cum Imperatore Græco-  
rum initi foederis pacta renovavit, licet Cæ-  
farem nonnisi ludificare, atque a milita-  
ri apparatu avocare intenderet, haud  
longiori tempore pacem servare cogitans,  
quam suas ipse copias ad bellum plene  
instruxisset. Sultanus equidem cœlum  
& terram in testes vocabat, se inviolabili  
fide pacem servaturum, nec unquam to-  
to vitæ suæ cursu quicquam contra Græ-  
corum imperium attentaturum, nihilomi-  
nus Constantinus Imperator Mahome-  
tanam perfidiam sæpius jam expertus,  
specioso huic verborum lenocinio haud  
fidendum arbitrabatur; unde ad Papam  
Legatos decrevit, qui opem implorarent  
in extremo hoc periculo, cui eluctan-  
do eo magis impar erat, quo proximus  
adeo formidandi hostis violentia suæ cer-  
vici inaminebat. **E**xcusabat suam, qua-  
hacte-